



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

111. Ubi primùm, &c. Declaratio, nullitatis, damnatio, ac reprobatio,
quarundam Pactionum à Capitulo; & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ
Hildensiensis cum A catholicico Principe initiarum, ejusdem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

decennium legerint; non instituti verò Theologi, linguas per quinquennium docuerint, redeuntes ad propriam Provinciam, potiantur eadem præcedentia, & præminentia, quibus gaudent Lectores Jubilati de numero, servata pariter inter eos anterioritate Institutionis.

XXI. Studeat Superior Generalis Cismontanus deputare Procuratorem pro Missionibus, qui vel in Sancti Bartholomæi, vel in Aracelitano Conventibus commoretur, & unum socium gratum habeat, qui in gerendis negotiis Missionum eum coadjuret, & petita solita benedictione à Superiore locali, è Conventu exeat, qui quidem Procurator, vel per sexennium completum fuerit Præfectus, aut Officialis locorum Terræ Sanctæ, vel per decennium Missionarius, aut in servicio Terræ Sanctæ per idem tempus permanerit. In his omnibus Sacra Congregatio conscientiam Superiorum Ordinis familiæ Cismontanæ onerata esse voluit, eorumque arbitrio reliquit Regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum profectum respicientes, & per eandem Sacram Congregationem approbandas.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, memorati Cardinales, facta sibi per Dilectum Filium Secretarium prædictæ Congregationis omnium, & singularum Regularum hujusmodi distincta relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censerint: Hinc est, quod Nos inviolabili earamdem Regularum robori, & efficacie providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, easdem præinstructas Regulas cùm omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplementus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas, ac Regulas hujusmodi semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sique in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit præfati Conventus Sancti Bartholomæi, & illius Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ

adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Januarii 1710. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

F. Oliverius.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, ac reprobatio quarumdam Pactionum a Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesienfis cum Acatolico Principe initarum, ejusdem Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum, & locorum piorum Juribus præjudicialium, nec non orthodoxæ Fidei rationibus, divino cultui, animarumque saluti adversantium.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesienfis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ubi primùm, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuerunt Pactiones illæ, seu, ut vocant, Recessus, quibus Vos diebus 21. Julii, ac 26. Novembris Anni præteriti, tametsi invitatos, ut credimus, & reluctantes, ac non nisi angustiarum, quæ tunc Vobis illata fuerant, sensu, majorumque, quas timebatis, metu compulsos subscripsisse accepimus, acerbo sanè, ac penè inexplebili dolore correpti fuimus: animo recolentes gravissima damna, quæ per ejusmodi Pactiones, non tam istius Ecclesiæ, quàm Catholicæ Religionis rationibus irrogata fuisset perpendimus. Culumulm deinde addiderunt moxiori nostro, quæ novissimè ad manus nostras pervenerunt, ipsarum Pactionum, seu Recessuum exempla, quibus non modò pura capita Vvestphalicæ Pacis dudum hac Sanctâ Sede damnata, perperam instaurari, & approbari vidimus, sed & alia multa non minus Orthodoxæ Fidei, Divino cultui, atque animarum saluti adversantia, quàm Canonicis sanctionibus, nec non Ecclesiæ vestræ Hildesienfis, ac illius Episcopi, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum piorum, eorumque personarum juribus prorsus repugnantia statui, ac firmari cognovimus, quæ, ut pudori vestro consulamus, singillatim referre prætermittimus.

§. 1. Et sanè unquam adduci potuissimus, ut crederemus pietatem vestram eatenus labefactandam fuisse, ut ad tam asperas, vestroque nomini injurias condiciones accipiendas descendere: cùm præsertim Nos iteratis in simili formâ Brevis ad Vos opportunè datis Literis ad æquissimam causam alacri, strenuè quoque animo tuendam pro muneris nostri debito majorem in modum Vos adhortati essemus, ac diligenter in primis admonuissimus, ut probè nostis, ne cuiuscumque denunciationis periculi, aut privati commodi ratione Vos abripi sineretis ad ulla in eundas pactiones, quæ Catholicæ rei forent detrimentum; conscripsisque insuper, statim ac audivimus ab Acatolico Principe militares copias ad occupandam Civitatem Hildesiensem, atque Arcem Peinensem immisissas fuisse, non tam ad clar: me: Josephum, dum viveret, Romanorum Regem in Imperatorem Electum, eoque subindè defuncto, ad Charissimam in Christo Filiam nostram Magdalenam Theresiam Hungariæ, & Bohemiæ Reginam Illustrè, in Romanorum Imperatricem

Elect-

De Procuratore Missionum deputando per Generalem.

Quantum tempus requiratur, ut quis Procurator Missionum eligatur.

Approbatio, & confirmatio.

Decreta roborantia, & salutaria.

Clausula derogatoria.

Transumptis eadem fides adhibenda, ac præsentibus.

CXI.

Exordium à Pontificio marore ob ingentia detrimenta, que per Pactiones à Capitulo initas cum Acatolico Principe, Religionis, Ecclesiæ, ipsique Capitulo inferebantur.

Capitulum acriter, sed pariteris vocibus increpat, quod ad ejusmodi Pactiones firmandas descendit, cum potius extrema quoque constituter pati debuisset.

Electam Viduam, quam ad omnes ferè Germaniæ Antistites, & Catholicos Principes aliis Literis nostris, eos quam efficacissimè excitavissimus, ac obtestati essemus, quemadmodum Vobis itidem satis perfectum est, ut conjunctis studiis periclitanti Hildesensî Ecclesiæ celerem opem ferrent, ejusque indemnitati, & tranquillitati consultum vellent. Quocirca sperare posse videbamur ab ejusmodi officiis haud leve rebus vestris adjuvmentum, atque præsidium comparandum fuisse, ubi Vos longiori patientiâ, solidiorique animi fortitudine illatis Vobis vexationibus, ac molestiis restitissetis. Desideravimus proinde hac in re eam Sacerdotali pectore planè dignam constantiam, quam vestrarum ærumnarum initio tam egregiè profitebamini. Et quamvis faciliè persuasum habeamus durâ, ac extremâ necessitate, graviorumque malorum formidine, quemadmodum scripsistis, & aliunde quoque rescivimus. Vos ad ejusmodi Pactiones firmandas inductos fuisse, id nihilominus ea, quæ gestistis, non excusat: tum quia plenior omninò fiducia in eo reponenda Vobis erat, in quo qui sperant, non confunduntur ab expectatione suâ, & cujus dextera invenitur super omnes, qui illum oderunt: tum etiam quia ubi Deus propter inscrutabilia Judicia ejus Vos calamitatibus, ac ærumnis, in quibus positi eratis, diutius conflictari permisisset, Ecclesiasticæ tamen professionis, & Divini ministerii, cui addicti estis, ratio flagitabat, ut quæcumque subiretis pericula, ac omnia etiam extrema mala perferretis potius, quam Religionis, & Ecclesiæ causam desereretis; Id unum scilicet timendum Vobis erat, nè apud Deum, hominesque redargui jure possetis loco atque honori vestro defuisse.

§. 2. Cæterum est Pactiones præfatas ipso jure inanes, ac irritas existere palam constat: notorietique insuper juris sit, quascumque conventiones de rebus Ecclesiasticis absque Apostolicæ Sedis auctoritate initas nullius prorsus esse roboris, & momenti; adeoque minimè vereamur, quin probè agnitori sitis Vos ad illarum observantiam nequaquam obstringi, quin etiam eas observare, relictæ ante conscientiam, nullo tempore posse, nec debere; nihilominus æquum non modò, & congruum, sed & necessarium esse ducimus, ut præmissi Apostolici quoque Judicii pondus accedat, tum ut nunquam dubitari contingat ipsas Pactiones Orthodoxæ Religionis, & Ecclesiæ juribus tam insensas, simulque Orbi universo tam notas, dissimulari à Nobis, atque silentio præteriri potuisse; tum etiam ut Vos alacrius, atque solidius de iis ita deinceps sentire valeatis, tanquam si nullatenus inite fuissent. Hinc est, quod Nos Catholicæ Fidei conservationi, & propagationi, nec non præfata Ecclesiæ Hildesensî, ac illius Præfatis, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum piorum, ac illarum personarum quarumcumque indemnitati, ex commissi Nobis divinitus Pastoralis officii debito, provide cupientes, ac Instrumentorum, seu scripturarum super Pactionibus, seu Receptis hujusmodi confectorum, seu confectorum, omniumque, & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, cæteraque quælibet etiam speciali mentione digna, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissimè specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænaratas Pactiones, & alia quælibet in Instrumentis, seu scripturis hujusmodi contenta, quæ Catholicæ Fidei, Divino cultui, animarum salutis, Cathedrali Hildesien-

si, illiusque Mensis Episcopali, & Capitulari, aliisque Ecclesiis, & Locis piis, illarumque respectivè Episcopo, Capitulo, & Canonicis, Rec-toribus, & aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officiant, sive præjudicium etiam minimum asserunt, aut inferre, seu intulisse, vel aliàs nocere, seu nocuisse quomodolibet dici, censerî, prætendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secuis, & quodcumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuò fore, nec Vos sive alium quempiam ad illorum, seu cuiuslibet eorum, etiam si pluriès ratificata, ac Juramento vallata sint, observantiam teneri; imò nec illa ullatenus observare posse, aut debere; neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, ac præscribendi causam, acqussitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore præsentium decernimus, & declaramus. Et nihilominus ad uberiorem cautelam, & quatenus opus sit, Pactiones prædictas, aliaque præmissa, ut præfatur præjudicialia, Motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuumus: Ac quatenus itidem opus sit, Cathedrali Hildesiensem, ac illius Mensas, aliasque Ecclesias, & Loca pia præfata, ac illorum respectivè personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum, ac cum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

§. 3. Decernentes easdem præfatas Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specificâ, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præfatas emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vicio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnarî, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas a peritioris oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliisque

Cum decreto irritanti, & aliis opportunis.

quos.

Præfatas Pactiones, ut Catholicæ Religionis, Ecclesiæ, & Capituli Hildesensî, & aliis præjudiciales irritas, damnatas, reprobatas cum omnibus inde secutis, & quodcumque secuturis.

quoslibet, quacumque præminentia, & Potestate fungentes, & functuros, sublatâ, eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstant. præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis locis, & personis etiam quacumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliis quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Agite igitur, dilecti filii, Ecclesiæ Religionis, ac Dei causam strenuo, constantique, ut par est, animo, & foras misso timore, defendite; ac in primis satagite, ut, quæ de cætero perageritis, ea omnibus certo, exploratoque argumento esse possint, Vos ad iniquas illas Pactiones, non nisi vi, ac metu cogentibus devenisse, mentemque vestram ab iis approbandis, ac observandis verè semper alienam fuisse, & esse. Illas propterea pro abolitis, ac prorsus pro non extantibus habere; abstinere sub pœnis per Sacros Canones adversus talia perpetrantes inflictis, non modò ab iis præsentandis, seu inferendis inter Acta publica cujusvis Tribunalis, Cancellariæ, seu Camera; sed etiam ab alio quovis actu, ex quo tacitè, vel expressè illarum approbatio, seu confirmatio ullatenus inferri possit. His porrò studiis cœlesti, rebus vestris præsidium magis, magisque conciliabit, cujus in auspiciis Apostolicam vobis benedictionem peramanter impartimur.

§. 6. Cæterum volumus, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die

Necnon cum clausulis derogatoriis, & aliis amplissimis.

Capitulum seriò hortatur, ut ab observandis istudem Pactionibus omnino absteat, ac eas inter Acta publica cujusvis Tribunalis referri minime patiat.

Fidem adhiberi mandat præsentium literarum transumptis.

xii. Martii MDCCLXII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Oliverius.

RESPONSUM

Capituli Cathedralis Ecclesiæ Hildensienfis.

FORIS

Sanctissimo Patri, & Domino Clementissimo CLEMENTI XI. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici Maximo.

INTUS verò.

Sanctissime Pater Domine Clementissime.

Coram Supremo Sanctitatis Vestræ Throno adgeniculabundis poplitibus prostrati gratias humillimas referimus, in æternum Nos pro eo obligatos, devinctosque profitentes, quod binas transactiones Nobis tempore Interregni, aliasve omninò derelictis, ac omnem ubique, & undequaque opem incassum implorantibus ex parte Serenissimæ Domus Hannoveranæ 11. Julii, & 17. Novembris 1711. per vim, & metum in viros constantissimos cadentem nulliter, & indebitè adversus Sacri Romani Imperii Sanctiones, omniaque mundi Jura extortas motu proprio, & de plenitudine potestatis autoritate Apostolicâ, seu nullas, & irritas declarare, seu cassare, ac annullare, & in omnem eventum contra istiusmodi recessus Nos in integrum mediante benignissimo Brevi Apostolico reponere dignata fuerit. Quemadmodum nunc ad majorem Dei honorem, & Sanctitatis Vestræ ulteriorem nominis Gloriam Ecclesiæ, & Diœceseos hujus decorem, splendoremque Breve istiusmodi Apostolicum tam insignibus, iisque Apostolicis clausulis munitum, ac singulari prorsus ædificatione, & zelo Domus Domini refertum vergit, ita salutari effectu, ac fructu præmemorati Brevis coram Sacrà Cæsareâ Majestate, & Catholici Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus, aliisque Statibus Nos confestim, ac propediem gavifuros sperantes, in id unice intenti erimus, ut Paternæ Sanctitatis Vestræ sollicitudini, ac zelo planè incomparabili, quo præter innumeras, quibus premittitur curas, Juribus Ecclesiæ Nostræ restaurandis mirificè incumbit, verbis, & opere humiliter respondeamus, ac Apostolicam Benedictionem, quam cum Sacratissimorum Pedum basio submississimè expetimus, consequi mereamur; dum Sanctitatem Vestram Divinæ Protectioni, & Nos suæ clementissimæ gratiæ humillima cum devotione recommendantes indefinenter perseveramus.

Sanctitatis Vestræ.

Hildesii 9. Julii 1712.

Humillimi, & obedientiss. Servitores

Decanus, Scholasticus Senior, totumque Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Hildensienfis.